

papa: Dominus Lingonensis¹, dominus Antisidiorensis², Carnotensis, Cathalaunensis³, Atrebatensis, Morinensis, Suessionensis, Laudunensis. Abbas ait: Et quare preteritis dominum Noviomensem, cum vita eius nobilis reliquis sit utilior? Papa ait: Non pretereo, sed dilectas salutes illi mando. Abbas ait: De episcopis vobis cura, abbates prorsus spernit? Papa ait: Et abbates et omnes religiosos exopto in domino salutari, precipue de Claravalle et similes illi. Abbas dixit: Abbas sancti Remigii valde dignus est a vobis salutari, quoniam locum illum, prout valebat, tantumdem melioravit. Studiose ait: Illum et reverenter saluta, quoniam optime se exercuit in domo Domini. Quam maxime hoc deprecor, ut venerandum fratrem et amicum nostrum Hugonem Premonstratensem abbatem sublimiter et sollicite salutes illique pro beneficiis nobis ab eo sedulo impensis magnas grates vice nostra respondeas. Abbas ait: Domine, si vobis placet, ut tantopere a me vice vestra salutetur, tunc oportunum mihi erit, ut per eius locum redeam et illi paternitatis vestre mandatum presenti presens exhibeam. Papa ait: Optime agis nec aliquid poteras nobis impendere magis graciosum. Abbas dixit: Forsan dubitabit a vestra celsitudine talia michi fuisse imposita, nisi aliquod apertum signum ab ore vestro prolatum illi protulero. Papa dixit: De libro sancti Augustini de civitate Dei, quem bene scriptum, pulcre ligatum et ornatum nobis transmisit³, grates multas referimus. Et apud illos nec dominus nec pontifex esse querimus, sed inter fratres unus eorum esse et permanere exoptamus. Si quid tamen ex officio nostro illis prodesse potuerimus, re vera ad hoc inpigri et alacres inveniemur. De cetero, ut pro nobis et pro Romana ecclesia apud Deum invigilent, optamus et deprecamur. Pax tibi!

²) Cathaulaunensis.

¹) Bischof Gottfried von Langres, 1140 — 8. Nov. 1164. ²) Hugo von Mâcon, Bischof von Auxerre, 24. Jan. 1137 — 10. Okt. 1151.

³) Diese Hs. scheint nicht erhalten zu sein, vgl. VATTASSO et DE CAVALIERI, Bibl. apost. Vat. cod. vat. lat. I (1902) cod. 424 sq.